

& duo panes infimi imponebantur mensæ, reliqui furculis & calamis sustinebantur.

§. I.

Vix videre licet, mensam panum facierum uno cingi limbo, sed communiter cingi duobus solet, cum tamen si supra tabulam limbus poneretur, panes facierum infimi, utpote ultra tabulæ latitudinem prominentes imponi mensæ non potuissent, siquidem limbus iste superior impedimento erat. Ita Hebræi sentiunt, quorum sententiæ congruit ipse arcus triumphalis *Titi Vespasiani*, ubi mensa panum facierum in triumphum portata, non nisi uno limbo inferiore gaudet, non levi documento bona fide hæc transmissa a Judæis posteritati esse, cum ipsa antiqua marmora de veritate historiæ testentur.

§. 2.

Sunt qui duos panes infimos in patinis, reliquos in calamis positos exhibeant, cum tamen sine patinis in nuda mensa requiescerent illi duo infimi, & cæteri sustinerentur calamis. Nam duo stipites aurei cuilibet panum ordini in terra adstabant, ex quibus calami prodibant aurei, quibus singuli sustinebantur panes, exceptis infimis. Quæ fusius explicantur in *Majmonide T. 3. Antiquit. edit. Venet. minoris tit. de domo electa cap. 3. §. 13. seqq.* ubi scribit, stipites vocari *Kuschot*, calamos vocari *Monaccijoth*, & præterea adjungit, vasa in quibus thus apponebatur panibus vocari *Cappoth*, & formas in quibus coquebantur pa-